



Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1690

§. IV. An Religiosus professus unius Monasterii, si transferatur ad aliud Monasterium, vel assumatur in Abbatem alterius Monasterii, retineat jus eligendi Abbatem prioris Monasterii?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

tamen plus in illis requiritur, qui in Regulari administratione aliis præesse debent. Neque potest aliquis simul professionem facere in ordine, & simul in Abbatem eligi, ut patet ex *c. cum ad nostram 37. h. t.* & ex allatâ ratione: quin imò ordinariè fieri non debet, ut ille qui paulò ante professionem emisit, in Prælatum eligatur, ob prudentem præsumptionem, quòd in disciplina, & instituto regulari nondum satis instructus sit. Potest tamen ille, qui nondum professus est, postulati in Abbatem, seu Prælatum Regularem, prout sumitur ex *c. cum Monasterium 13. h. t.* & potest Summus Pontifex ex plenitudine suæ potestatis non tantùm in his dispensare, sed tales etiam Abbatis, & Prælaturas Regulares, in perpetuam commendam sæcularibus concedere, etiam post Tridentinum, ita ut tales Commendatarij jus omne habeant administrationis, quale habent Regulares Prælati intitulati.

§. III.

De electione Prælatorum Regularium extra suum Monasterium, vel Ordinem.

Potest Religiosus, etiam Abbas & Prælatus Regularis in Episcopum quidem, tam sæcularis, quàm regularis Ecclesiæ eligi, & ad alterius etiam Monasterij Prælaturam, si Monasterium sit ejusdem Ordinis, non autem, si sit diversi, prout statutum habetur in *Clement. 1. h. t.* aut ad inferiora Episcopali dignitate beneficia, sine Pontificis dispensatione &c. prout *S. Congreg. Trident. declaravit aut San. L. 7. Moral. s. 29. n. 71.* Non potest tamen Reli-

giosus sine licentiâ sui immediati superioris consentire, in electione de se factam, extra suum Monasterium, etiam si esset ejusdem Ordinis, sub pœna amittendi juris, quod per electionem acquisiverat *c. si religiosus 27. h. t. in 6.* ne argui possit præsumptuosæ ambitionis, Et quamvis olim dubium fuerit, an non etiam conventus seu Capituli licentiarequiratur ad transferendum Religiosum, in alterius Monasterij Prælatum electum, cum jura antiqua super hoc varient, & speciem alienationis habeat hæc translatio, quia tamen clara decisio *Bonifacij 8. in Relat. c. si Religiosus*: habetur, de nihil necessario Capituli seu conventus consensu, consequenter hodie nihil necessaria hæc licentia, cum jura antiqua merito correctâ videri possint per jura recentiora; & quæ de alienatione jura statuunt, intelligi non debeant de translatione Personarum ab uno Monasterio ad aliud, quæ propriè alienatio non est, per quam propriè loquendo dominia rerum transferuntur, sed de alienatione rerum mobilium aut immobilium.

§. IV.

An Religiosus professus unius Monasterij, si transferatur ad aliud Monasterium, vel assumatur in Abbatem alterius Monasterij, retineat jus eligendi Abbatem prioris Monasterij?

Quod translatus talis ipso facto amittat vocem, sive jus suffragij, in priore Monasterio, à quo translatus vel assumptus est, & consequenter non retineat amplius jus eligendi Abbatem prioris

ris Monasterij, ita ut nec possint jus hoc illi concedere prioris Monasterij Regulares, expressè statuit in *e. constitutis* 47. *h. 2.* Pontifex, si tamen alterum Monasterium sua adæquatè distincta jura habeat, & non sit priori Monasterio tanquam Principali sub eodem Abbate subjectum, & subordinatum, qui jus habeat, vel in hoc, vel in illo loco Religiosum sibi subjectum constituere; in hoc enim casu, cum Religiosus in inferiore Monasterio constitutus, sit adhuc membrum, & pars principalis Monasterij, consequenter mirum non est, quòd non amittat jura prioris Monasterij. Neque talia jura contra sacros Canones, & favorem Ecclesie possunt concedere prioris Monasterij Regulares, cum pacta privatorum, juri publico & communi (quod non vult Monachum in duobus Monasterijs Capitularem existere) præsertim in favorem Ecclesie constituto, derogare non possint.

§. V.

De electione Religiosorum mendicantium ad Pralaturas, extra ordinem suum, in discordia facta; & de electione aliorum Religiosorum non mendicantium à minore parte eligentium facta?

In *q. quorundam* 24. *h. 2. in 6.* statuit Bonifacius VIII. ut ne ulli Religiosorum mendicantium ad aliquam Prælaturam extra suum ordinem, in discordia electo, ullum jus acquiratur, quamvis in illius electionem consenserit Prælatus Regularis; neque possit talis Religiosus mendicans, in discordia taliter electus, in sui electionem talem consentire,

quamvis licentiam sui Prælati super hoc habeat. Et in *§. cura in eod. c.* statuit in super, nullum jus acquiri cuicumque etiam non mendicanti Religioso, quamvis Superioris licentiam, & consensum super sui electione habeat, si à minore parte Capituli, ad Prælaturam talem, extra suum ordinem electus fuerit, ita ut quidquid contra præmissa attentatum fuerit, irritum sit & inane; statuens hæc ob majorem Religiosorum perfectionem, & ne litibus ambitiosis, quæ faciliè ex talibus electionibus oriuntur, immiscere se teneantur, cum perturbatione religiosæ quietis, & cultus divini diminutione. Dicitur autem in ordine ad hujus Capituli constitutionem, in discordia facta electio, si vel plures electiones factæ, & publicatæ sint, quarum una v. g. fuerit de Religioso mendicante, vel si una quidem de Religioso mendicante facta est, cui tamen aliqui, vel etiam unus contradicat, juxta *Gloss. hic V. in discordia*: à minore verò Capituli parte facta electio dicitur, si minor pars ex Capitularibus, qui de facto eligunt, quamvis eorum aliqui jure eligendi privati sint, in unum aliquem Religiosum non mendicantem consentiant. Veluti, si ex 12. Capitularibus, decem eligerunt Religiosum mendicantem, cui duo tamen contradicunt; vel si octo eligant indignum, quatuor verò Religiosum non mendicantem dignum, dicitur in illo casu, electio Religiosi mendicantis facta esse in discordia; & in posteriore casu dicitur Religiosi non mendicantis electio facta à minore parte Capituli, non quidem de jure eligentis, cum illi qui indignum eligunt, si scienter hoc faciant,